


# EPISTULA LEONINA

## CCXXXVII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM TRICESIMAM SEPTIMAM (237) !**

## ARGUMENTA

|   |       |
|---|-------|
| <b>PRAEFATIUNCULA</b> .....   | 02-03 |
| <b>SCIENTIA VINCERE TENEBRAS</b> .....  | 04    |
| <b>INVITATIO PRAESIDIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE</b> .....                  | 05    |
| <b>CHRONOGRAMMATA PATRIS DOUTEIL</b> .....                                      | 06-08 |
| <b>CHRONOGRAMMA ROESSLERIANUM</b> .....   | 09    |
| <b>HUMBOLDTIANA SEMINARIA INTERRETIALIA</b> .....                               | 10-13 |
| <b>ECHUS VOCES EPISTULAE</b> .....  | 14-20 |
| <b>RECTENE HOC VIDEO?</b> ( <i>Gunnar Kaiser</i> ).....                         | 21-28 |
| <b>DE PAUPERE SOCIO MOLINARIO ET CATTULA</b> ( <i>Grimm/ Leo Latinus</i> )..... | 29-33 |
| <b>LIBRI LEONIS LATINI</b> .....  | 34-37 |

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae. Hac quoque in Epistulâ Leoninâ habemus delectamenta vehementer varia: Ergo lege symbolas Leoninas: miraberis!*

*Insigne Universitatis Bruxellensis nobis promittit Almam Matrem, cuius symbolum est, scientiâ suâ victuram esse tenebras. Quod promissum sanê est laude dignum; at difficile est idem ad veritatem adducere istac in tempestate temporum, ubi in campis academicis saevire solent rectitudo politica et genderismus et multiculturalismus et antiphyletismus morbosê exaggeratus et furor climaticus necnon ... coronarius.*

*Modo demum (hanc praefatiunculam scribens) accepi epistulam Theoderici Sacré invitatoriam, cui insunt varia nuntia gravissima ad Latinitatem spectantia. Tolle lege!*

*Chronogrammatis Patris Herberti Douteil necnon Tobiae Roeßleri solitâ cum sollertiâ confectis feliciter inter se coniunguntur nova et vetera, paganica et christiana.*

*Hac septimana incohabuntur seminaria Centri Studiorum Humboldtiani, quod particeps est Universitatis Ulmensis. Inspicite programma, cui insunt tria seminaria interretialia a Leone Latino dirigenda, quae spectant ad Colloquia Latina, ad linguam Sanscritam sive palaeoindicam, ad opus Characterum Theophrasteum. Nota bene, cara Lectrix, care Lector, ad Colloquium Latinum interretiale*

*participandum invitari homines sive iuniores sive seniores sive Ulmae sive extra Ulmam quocumque in loco orbis terrarum versantes, dummodo linguae Latinae aliquatenus periti sint.*

*Nonnullas iterum addidi **epistulas Latinas**, quas accepi a Lectoribus; nam maximê aestimo talia documenta Latinitatis verê vivae pretiosissima. Scribite mihi epistulas, sodales humanissimi, ne umquam Latinitas obmutescat!*

***Gunnar Kaiser** est poeta et philosophus necnon magister scholaris, qui magnum iam numerum publicavit scopocinematiorum, quibus doctê atque ingeniosê vituperat remedia ista, quae gubernatio nostra adhibet sub praetextu **pandemiae putativae** impugnandae. Lege argumenta eius maximê persuasoria.*

*Denique tibi offero, cara Lectrix, care Lector, **fabellam Grimmianam**, quâ agitur de socio molinario deque cattulâ magicâ, quae – fortasse iam suspicaberis – est principissa devota. Habent suum leporem aeternum hae fabellae mirabiles nec semper facile est easdem in alium sermonem convertere. Iam centum sex interim converti fabellas Grimmianas --- sed restat huius collectionis copiosae altera pars dimidia!*

**Medullitus Te salutat  
Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 25. m.Apr. a.2021**



**SCIENTIĀ VINCERE TENEBRAS**

## **Theodericus Sacré sodalibus ALF optimis s.d.p.**

Ad proximam orationem ALF menstruam iuvat me vos, sodales, invitare. Quam ipsis **Kalendis Maiis hora (Bruxellensi) quinta postmeridiana** habebit **Milena Minkova** sodalis **De rationibus praeteritis, praesentibus, futuris Instituti studiis Latinis provehendis apud Universitatem studiorum Kentukianam annos abhinc viginti conditi**. Nexum autem sive ligamen Zoomicum per Nicolaum De Mico sodalem accipietis propediem.

Hac data occasione, velim de academiae nostrae sede, quae est in tela totius terrae, deque novis rebus, quae ibi legenda proponuntur, certiores vos facere. Nam si eam partem adieritis, quae 'Narrationes' complectitur, non solum verba orationum quarundam menstruarum offendetis, verum etiam colloquia interrogatoria sive percontativa invenietis, cum Curtio Smolak, Tuomone Pekkanen, Gaio Licoppe sodalibus habita; et verba in memoriam Cleti Pavanetto, viri Latinissimi, scripta, legere poteritis. Deinde, cum eam partem, cui 'Libri' est titulus, aperueritis, florilegii cuiusdam superiore anno editi existimationem facile reperietis. Denique operae pretium sane feceritis, si novam verborum farraginem consulueritis, quae titulo *Lexici Licoppiani* munita per hos ultimos dies sedi nostra est indita; continentur enim hoc lexico permulta vocabula nova, ad quae Franciscæ et Gaio Licoppe confugiendum videbatur esse dum commentationes vel ipsi suas scribunt vel ab aliis exaratas in sermonem Latinum convertunt. Insunt huic lexico verba quaedam ab ipsis coniugibus cusa.

Mox autem fiet ut orationum menstruarum colloquiorumque percontativorum pelliculae, si eo nomine appellare mihi licet, sedi nostrae interserantur; huic enim rei laborem hoc tempore impendit Daniel Pettersson sodalis; qua peracta, praeter verba iam exscripta retique indita imagines etiam cum suis sonis audire atque intueri poteritis.

Curate ut quam optime valeatis!

**D. Lovanio die 24 m. Aprilis anno 2021.**

# CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS



Breviarium Grimani, Brügge um 1515

Zum 23. April, dem **Fest des heiligen Georg**:

2021\* **VIV**at san**CtV**s patron**V**s Georg**IV**s grat**Ia DIV**ina In**VICtV**s **C**ontra  
In**SI**Dias **DraCon**Is non **VILI**s et **eXI**los**I** – Es lebe der heilige Patron Georg,  
durch die Gnade Gottes unbesiegt gegen die Nachstellungen des nicht  
ungefährlichen und unheilvollen Drachens!



Martyrium des hl. Markus – Tres riches heures des Duc de Berry

Zum 25. April, dem **Fest des heiligen Evangelisten Markus:**

2021\* Ioannes MarCVs ConsobrInVs et soCIVs Barnabae e aLIas VtILIs PaVLo, a LabIIIs PetrI apostoLI VIVentIs In BabILone aCCepIt pro nobIs Verba eVangeLII IesV ChrIstI. – Johannes Markus, der Neffe und Gefährte des Barnabas (Apg 15,25) und zu anderer Zeit Paulus von Nutzen (2 Tim 4,11), empfang für uns von Petrus, als dieser in Babylon lebte (Babylon = Rom; 1 Petr 5,13), die Worte des Evangeliums Jesu Christi (Mk 1,1).



Lucas Cranach, Angermuseum Erfurt

Zum 25. April, dem **Vierten Ostersonntag – Sonntag des Guten Hirten:**

2021\* **IesVs DIXIt:** ego s**VM** pastor bon**Vs**, fons, porta, **LVX**, pan**Is VI**tae, res**VrreCt**io et **Vita**, **Via** et **VerItas**, **filIVs** Patr**Is Cae**Lest**Is, VI**t**Is Vera**, **ReX**, Sa**LV**ator fort**Is**, Ser**VV**s.– Jesus sagte: Ich bin der gute Hirt (Jo 10,14), bin Quelle (Jo 4,14), das Tor (Jo 10,7), Licht (Jo 10,14), das Brot des Lebens (Jo 6,48), die Auferstehung und das Leben (Jo 11,25), der Weg und die Wahrheit (Jo 14,6), der Sohn des himmlischen Vaters (Jo 10,26), der wahre Weinstock (Jo 15,1), König (Jo 18.37), starker Erretter (Jo 3,17), Knecht (Mt 20.28). – Die Ich-bin-Worte Jesu



# CHRONOGRAMMA ROESSLERIANUM

## Igor Stravinsky

\* 5. Juni<sup>jul.</sup> / 17. Juni 1882<sup>greg.</sup> in Oranienbaum, Russland

† 6. April 1971 in New York City



qvinquaginta annis ante die sexto aprilis obiit

ingvarvs Stravinsky

bonvs compositor et clavilista rvssicvs

mmxxi

# **HUMBOLDTIANA SEMINARIA INTERRETIALIA**

- 1. COLLOQUIUM LATINUM**
- 2. CURSUS LINGVAE SANSCRITAE**
- 3. LECTIO CHARACTERUM THEOPHRASTI**

HAEC SEMINARIA INTERRETIALIA  
HOC SEMESTRI AESTIVO  
MODERABITUR  
**DR. NIKOLAUS GROSS.**

QUAE FIENT SUB AEGIDE CENTRI STUDIORUM HUMBOLDTIANI  
(Humboldt Studienzentrum).  
QUOD INSTITUTUM SPECTAT  
AD UNIVERSITATEM STUDIORUM ULMENSEM  
(Universität Ulm).

CENTRI HUMBOLDTIANI DIRECTRIX EST **PROF. RENATE BREUNINGER.**

**Nomen dari participando poterit mense Aprili aut telephonicê aut  
interretialiter. Observa situm interretialem Centri Studiorum  
Humboldtiani, qui est hic qui sequitur:**

<https://www.uni-ulm.de/einrichtungen/humboldt/lehrveranstaltungen/lehrveranstaltungen/>

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**CENTRUM STUDIORUM HUMBOLDTIANUM – Semestre Aestivum a.2021**

## **COLLOQUIUM LATINUM**

**Quomodo Latinê loquamur de rebus modernis.**

**Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum**

**Quod linguâ Latinâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß**

„Colloquium Latinum – quonam modo hoc fieri potest? Latinê loqui de rebus modernis?“

Certê hoc fiet! Sed primo oportet errorem corrigamus: Latinitas non est emortua, eadem omnino numquam mortua fuit! Nam ex quo interiit Imperium Romanum, nullus umquam dies fuit, quin ulli homines cogitarent, scriberent, loquerentur linguâ Latinâ.

Multa sunt fora interretialia et circuli colloquiorum, internationales cursûs feriales, seminaria, conventûs, in quibus homines variarum nationum nullâ aliâ linguâ nisi Latinâ loquentes optimê inter se intellegant.

Esne nunc curiosus? Didicistine linguam Latinam in scholâ aut in universitate studiorum, sed numquam eâdem locutus es? Si ita est, te medullitus invito ad COLLOQUIUM LATINUM Centri Studiorum Humboldtiani participandum.

Ut „sermone Europae patrio“ loquens gaudium percipias quam mirificentissimum, medullitus tibi exoptat

**Dr. Nikolaus Groß**

**Prima Dies Colloquii Latini:**  
**dies Martis, 27. m.Apr., h.16.30-18:00**

## HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021

### **SANSKRIT für Anfänger und Fortgeschrittene**

#### **Cursus linguae sanscritae tironibus et progressis destinatus**

Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum

Quod linguâ theodiscâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß

*Carae Humboldtianae, cari Humboldtiani,*

omnis homo, qui umquam coepit accuratius discere linguam sanscritam, animadvertit inde ex eo tempore se deditum esse atque obnoxium fructui mentis illecebrosi, a quo tam aegrê abstinebit quam illi comites Ulixis Homerici a fructu Lotophagorum. Eidem enim postea vix umquam id continget, ut prorsus defugiat hunc sermonem mirabilem animo inflammato colendum, quod sit instrumentum rationis logicae et meditationis et analysis phoneticae et grammaticae necnon philosophicae.

Alumnae alumnove Humboldtiano procul dubio est officium aliquando se dedere studiis sanscriticis: Nam îdem oportet sciat Vilelmum ab Humboldt Londini Francisco Bopp docente per paucos menses linguam palaeoindicam tantâ cum animi intentione et inflammatione et subtilitate didicisse, ut intellegeret carmen Indorum omnium illustrissimum et maximê philosophicum, quod inscribitur „Bhagavadgîta”, et sentiret idem esse omnium operum generis humani philosophicorum pulcherrimum atque animos commoventissimum.

Utemur libro didactico a Thomâ Lehmann methodo splendidissimâ scripto: <http://www.rzuser.uni-heidelberg.de/~d53/sansvok.pdf>

Hôc in cursu sermonis sanscriti didactico et tirones et progressi ratione parallelâ instituuntur. Quod facere iam semestri hiemali nobis successit feliciter. Ceterum tibi maximê commendo libellum grammaticum Manfredi Mayrhofer, c.t. Sanskritgrammatik.

Omnis particeps versus finem semestris clausurâ superatâ accipiet testimonium Humboldtianum. Ut unam ex generis humani linguis excultis maximi momenti pernoscens gaudium percipias vel maximum tibi medullitus exoptat

**Dr. Nikolaus Groß**

**Prima Dies docendi:**

**dies Martis, 27. m.Apr., h.18.00-19:30**

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**Altgriechische Lektüre: THEOPHRAST, Charaktere**

Lectio palaeograeca: THEOPHRASTI Characteres  
 Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum  
 Quod linguâ theodiscâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß

A.322 a.Chr.n. Aristotele mortuo Theophrastus Eresius eius discipulus atque amicus successit rector Peripati scholae philosophorum. Īdem vir doctus ferebatur esse magister excellens industriâ et acumine mentis et elocutione splendidâ insignissimus. Theophrastus dicitur scripsisse plus ducenta opera, quae ad omnes disciplinas scientiae humanae spectarent. At integra nobis relicta sunt opera eiusdem non nisi duo: opus botanicum, quod ab historicis biologiae praedicatur esse primum huiusmodi ratione logicâ atque systematicâ compositum, et eiusdem philosophi Ἡθικοὶ χαρακτήρες.

»Χαρακτήρ«, i.q. Latinê „character“, primo sensu significat formam, quâ cuduntur monetae et sigilla, sensu secundario etiam id ipsum quod est cūsum. Sensu translato χαρακτήρ fit nota specialis, quâ cognoscitur aut certus homo aut certa res.

Theophrastus in hōc opere peritissimê atque accuratissimê describit triginta characteres hominum – qui omnes sunt aliquatenus scaevi aut inepti, semper ridiculi, quales personae in comoediis tam antiquis quam recentioribus solent inveniri: vir vanus, gloriosus, agrestis, adulator, blatero, parcepromus, eqs. Lectio huius theophrastei „libelli aurei“ (qualis medio aevo appellabatur) est perquam lepida et delectabilis eâdemque seminarii participes semper semperque excitabuntur ad themata psychologiae et historiae civilis et philosophiae consideranda. Itaque omnes amicas amicosve litterarum graecarum medullitus invito, ut participant seminarium nostrum theophrasteum.

**Participes oportet iam noverint sermonis graeci fundamenta semantica et grammatica. Omnis particeps versus finem semestris clausurâ superatâ accipiet testimonium Humboldtianum.**

**Dr. Nikolaus Groß**

**Prima Dies Theophrastea:**  
**dies Mercurii, 28. m.Apr. a.2021, h.18-19.30**

# ECHUS VOCES EPISTULAE

Am 20.04.2021 um 20:59 schrieb [latino@ipoint.it](mailto:latino@ipoint.it):

**Victorius Ciarrocchi Nicolao Gross s. p. d.**

Epistulam Leoninam 236, optime Nicolae, tot gravioribus scriptis locupletasti, ut de ipsa tibi aliquid scribam oporteat. Propositum igitur tuum epistolographiae fovendae probandum laudandumque puto, quoniam hoc scribendi genus ansam praebet ut homines, qui Latinitatem colant, inter sese- si sperare liceat- quadamtenus melius iungantur. Attamen in epistulari quoque commercio maxima prudentia adhibenda est (ut in pag. 14 recte admones), propterea quod amor Latinitatis non semper ad vitandas discordias sufficit. Quare sententiam sanscriticam, quae Latine est: "ubi ordo ibi victoria", plurimi equidem facio. Gratias tibi singulares ago, humanissime Nicolae, quod de libro c. t. "Varia Latinitatis Vivae Testimonia" mentionem fecisti. Lambertus Pigni, qui praeterito mense Ianuario mortuus est annum agens septimum supra nonagesimum, effecit ut hic liber apud eius domum editoriam publicaretur. Cuius viri memoriae addictus gratusque sum, quia nullam aliam domum editoriam Italicam- vel si pecuniam erogassem maiorem quam domui "ELI" erogavi- invenissem, quae librum tantummodo Latine exaratum edendum curasset. Gratias etiam pro symbola dicata (in Ep. Leonina superiore) Iosepho illi Rizal. Utrum mense Octobri Romam proficiscar necne, nondum scio: haud bona mihi est valetudo. Latinissime valeas.

Tue, 20 Apr 2021 21:20:15 +0200

**Nicolaus Victorio suo optimo sal.pl.**

Summas gratias, care Victori, tibi ago pro verbis, quibus aestimas Epistulas meas Leoninas necnon loqueris de epistolographia. Libentissime laudavi opus tuum, quia pro certo habeo idem esse documentum Latinitatis vivae pretiosum.

In appendice invenies indicem Orbis Picti Hexaglotti, c.t. est "ACCESSORIA". Rogo te, ut hunc quoque indicem perspicias solita tua diligentia. Ceterum utinam reconvalescas! Sit tibi Latinitas et delectamentum et medicamentum panaceum efficacissimum! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

El sáb, 17 de abr. de 2021 a la(s) 04:39, SPQR ([SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)) escribió:

**LEO LATINUS PAULO KANGISER CHILIANO SAL.PL.DIC.**  
s.v.b.e.e.v.

Iam ex aeonibus, care sodalis, nihil a te accepi. Quomodo te habes? Esne quarantaena inclusus an libertate ambulandi frueris - sicut Texani et Floridani et Sueti? Quid de studiis tuis Latinissimis? Nonne vis symbolam publicare Latinam apud Leonem? Libenter accipiam. Quomodo tibi placent argumenta Leonis Latini? Iamne legisti de Iosepho Rizal, heroe Philippinarum nationali (EL 235)? Scribas mihi, care Paule, quidquid tibi in buccam venerit. Vale pancratice. Medullitus te salutat LEO LATINUS

Am 20.04.2021 um 01:07 schrieb Pablo Kangiser:

**Paulus Kangiser Leoni Latino s.p.d.**

Gratum est accipere ex te litteras qui de valetudine mea requiris. Bene valeo. Vaccinum accepi contra virus covidianum bis, etiam contra influentiam. Quarantaenam patior stoice. Cottidie Latine vel lego vel scribo; quid scribo? Agitur de brevi historia earum rerum quae in Chilia acciderint die 11<sup>o</sup> mensis Septembris anni 1973, quae historia possit altercationes gignere, interdum graves. Difficile est recto uti iudicio et ab utraque ideologia -sinistrana et dexterana- in medio manere, praesertim cum ego naturali instinctu ad dexteram moveor; sed aequabilem esse temptabo.

De Iosepho Rizalio attente legi; vitam eius fuit mirifica et dignissima lectu; comperi fuisse inter massones quos neque refello neque sequor, immo catholicus sum et puto cum omnibus possumus alloqui atque humaniter disceptare. Carmen ab eo scriptum c.t. Ultimum meum vale Hispanice perlegi, est sincerum, patrio amore plenum, prae mortem exaratum. Illa sodalitas, Insularum Philippinarum Ordo Equitum, quid Latinitati valeat? Philippini lingua Hispanica olim utebantur, necnon aliqua nativa, at nunc -ut credo- Anglice loquuntur.

Denique ignosce mihi ignorantia: quid est aeon, quid est astynomia?

Cura ut optime valeas.

Tue, 20 Apr 2021 22:06:34 +0200

**Nicolaus Paulo suo sal.pl.**

Gratias tibi ago pro responso. Valdê desideraveram hōc anno symbolas epistulasque tuas, mi Paule, quibus mirê ditificantur litterae Latinae. Ubi vis êdere symbolam tuam historicam? Libentissimê eam accipiam in Epistulâ Leoninâ publicandam.—

Semper gaudeo de aestimationibus scriptorum Leoninorum, quibus fiat commercium idearum et cogitationum fructuosissimum. Eximiê gaudeo de tolerantîâ perhumanâ, quâ accipis verba massonis, quamvis sis catholicus. Talis tolerantia hodie est rarissima, societates videntur mihi in dies plus dissociari. Ego quoque omnino nullam rationem habeo ad massones et Rizalianos, sed Radulfus medicus quidam amicus mei nuper receptus est in illorum societatem. Forte fortunâ vidi in eius epistulâ insigne Equitum Rizalianorum, lêgi verba Horatiana, q.s. *Non omnis moriar* - et curiosus factus sum. Septimanâ superiore, crede mihi, adhuc omnino nihil de Iosepho Rizal sciveram. Sed insignis illius verba me allegerunt, ut per nonnullas noctes legerem de Iosepho Rizalio et de Philippinis. Semper volo lectoribus meis aliquid novi et inauditi praebere - scilicet Latinis verbis descriptum! En habes hanc historiolum. Rizaliani nihil valent ad Latinitatem, quantum scio. Sed ille Radulfus est amicus mei, in universitate est meus studiosus; cupit Latina legere (Fragrantiam meam valdê laudavit) et linguam sanscritam discere. Itaque cursum meum universitarium frequentat.

Quaeris, quid sit *astynomia*? Est verbum neograecum quod valet vigiles publicos. Scire vis, quid sint *aeones*? Est etiam graecum. ὀ αἰών, αἰώνος est i.q. spatium temporis, aetas, spatium vitae, aeternitas. Cum tibi scripsi me *ex aeonibus* nihil accepisse de te et ex te, (paullulum iocosê rem exaggerans) dixi me ex aeterno ferê tempore nihil a te accepisse. Goethanus ille Doctor Faustus ultimo momento suae vitae quâdam cum euphoriâ dicit: "*Es kann die Spur von meinen Erdentagen nicht in Äonen untergehen.*", i.q. Vestigium vitae meae terrestres non interire poterit per tempora aeterna." - O bone Fauste, vana spes! Mox Mephistopheles irridet senem vanâ spe gloriae imbutum humi prostratum: "*Der mir so tapfer widerstand - der Greis - er liegt vor mir im Sand*" Senex, qui mihi tam fortiter restitit, ante me iacet in harenâ." –



Haec hactenus - profecti sumus a Iosepho Rizal et advenimus ad Faustum et Mephistophelem. Tu autem, mi Paule optime, fac ut pancraticê valeas, et mittas mihi symbolam tuam historicam - quâ Latinitas certê mirum in modum locupletabitur. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

D. 23.m.Apr. a2021 h.22:55 scripsit Pablo Kangiser:

**Paulus Nicolao s.d.**

Tandem inveni αἰών in meo lexico Graeco, quod verbum non potui recte scribere, computatrum meum habet litteras Graecas sed multis aliis signis commixtas et inordinatas, ubi difficile est unam quaesitam litteram invenire, nec vocalem iotan cum spiritu forti invenire potui.

Cum aliqua scripta nunc denuo legissem inveni te verbo “astynomis” olim usum esse in symbola mea de Praesidis Kennedy morte, quam sic correxisti: “quod telephonema ab astynomis numquam publicatum esse”, cum ego scripseram “quam taeniam biocolyti numquam palam devalarunt”.

Item in eadem symbola scripsisti “Iacobus Rubenstein coram astyphylacibus suspectum Lee Harvey Oswaldum revolucro coltiano interfecit”; ego scripseram “Iacobus Rubenstein manuballistula coram biocolytis collineavit in suspectum Lee Harvey Oswaldum et displosit”.

Tuae correctiones dilucidae quidem fiunt et facile intelleguntur; sed dubito de verbis Graecis quamvis ipse usus sim biocolyto, quod credo iam vulgatum in Latinistis. Malo equidem verba Latina omnino uti, dein verba Latina ex origine Graeco-latina, denique, si aliter fieri non potest, ex origine Graeca.

Velim scire, si vis, declinationes verborum: astynomis (-is?), astynomia (-ae? = Polizei?), Astyphilax (-acis?). Gratias ago in antecessum.

Ex te quondam quaesivi quomodo verteretur campus Auschwitz in Latinitatem, nam nusquam eius nomen invenire potueram, et repondisti Polonice esse Oświęcim, et Osvecimia in Latino sermone. Eruditio tua amplissima est, tibi gratulor.

De Bello Frigido deque Casu Chiliensi brevis historia, quam nunc scribo, non cito agere possum, nam, cum velim esse aequabilis, antecedentia examino caute; perveni, ut puto, ad dimidiam partem.

**Cura ut optime valeas.**

## NICOLAUS PAULO S.

Quaeris locos testes et significationes verborum graecanicorum, quae sunt "astyphylax" et "biocolyta".

1) "**Biocolyta**" (valet "qui violentiam arcet" βία = 'vis, violentia; κωλύειν = 'arcêre' - eheu, interdum tales vigiles sunt ipsi violenti in cives pacificê manifestantes contra remedia coronaria!) est verbum antiquum (IUST.Nov. 8,12; in lexico Graeco-Anglico, quod scripserunt LIDDELL and SCOTT, p.316, s.v. βιοκωλύτης: "*an officer to suppress violence or lawlessness*"). Georges (Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, Hannover, 14.ed. 1976, tom.I, col.832, s.v. biocolyta, ae, m.: "*ein Gewaltwehrer, eine Art Gendarmen, Novell. Iust.29,5 u. 134,1*").

Explicatio huius verbi rari invenitur hoc loco:

[http://asiaminor.ehw.gr/forms/flemmaAdds.aspx?Mode=Glossary&paramid=9405&boithimata\\_State=&kefalalaia\\_State=](http://asiaminor.ehw.gr/forms/flemmaAdds.aspx?Mode=Glossary&paramid=9405&boithimata_State=&kefalalaia_State=)

"**biokolytes** (Greek: βιοκωλύτης, lit. the one who prevents violence): A *short-lived* dignity under Justinian I (527-565). Biokolytes had law-enforcement and **military authority** within a province. The office was abolished in 552/3."

Vides hoc munus fuisse militare neque exstitisse nisi sub Iustiniano I. imperatore. Certe idem munus non valdê simile fuit ei, quod hodie hispanicê appellatur *policia* et theodisce *Polizei* et anglice *police*. Si quod verbum antiquum adhibetur ad notionem modernam parum similem significandam, talis usus verbi aliquatenus monet illius Procrustae (monstrum atrocissimum, quod Theseus heros - Deo gratias! - occidit). Iste enim furcifer hospites breviores corpore distrahendo adaptabat ad lectum longiorem, longiores pedibus resecandis ad lectum breviorum). Talis adaptatio crudelis nobis studia humaniora amplexis nonne displicet?

Itaque praefero nomina vigilum publicorum neograeca (formis palaeograecis aequalia), quae sunt: *astyphylax*, -*acis m.* et *astynomus*, -*i m.*

2) **Astyphylax** valet vigilem urbis, est tertiae declinationis, ergo: *astyphylax*, *astyphylacis*, *astyphylaci*, *astyphylacem*, *astyphylace*; pl. *astyphylaces*, *astyphylacum*, *astyphylacibus*, *astyphylaces*, *astyphylacibus*). Spectat ad simplices vigiles ordine et honore humiliores.

3) E contrario astynomi sunt vigiles publici altioris ordinis et honoris, id est "commissarii" et similes. **astynomus**, -î m. sequitur declinationem secundam: astynomus, astynomi, astynomo, astynomum, astynomo; pl. astynomi, astynomorum, astynomis, astynomos, astynomis.

Haec habui, care Paule Chiliane, quae tibi dicerem de modernis vigilibus publicis Latinê denominandis. Utinam tibi haec sint usui fructuique.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

Van: SPQR <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)> Verzonden: dinsdag 20 april 2021 22:54

An: Prof. Dr. Dirk Sacré Onderwerp: ACCESSORIA - CAROLUS SODALIS

**Nicolaus Leo Latinus Theoderico Praesidi Academiae Latinitati Fovendae sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

En habes, care Theoderice, indicem vocabulorum quae spectant ad ACCESSORIA et sunt ORBIS PICTI HEXAGLOTTI participia.

Si quae tibi erit occasiuncula, hunc indicem legendo perlustra, quaeso, et scribe mihi postea quidquid tibi in buccam venerit. Accepistine Epistulam Leoninam 236, quam heri tibi misi?

Restat, ut ex te quaeram, num quid scias recentius scias de *Carolo Lyvens* sodale nostro Lituano. Quocum habueram commercium epistularum; vocabulis Orbis Picti Astronomicis perlectis adnotationes mihi misit valdê utiles. Sed ex plus dimidio anno îdem non iam respondit epistulis meis. Interim tu cum eo iam colloquium habuisti aut loquelare aut epistulare? Haec hactenus, mox certê plura. Care Theoderice, pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**Wed, 21 Apr 2021 07:13:05 +0000**

**Theodericus Nicolao**, viro Latinissimo, s.d.p. Gratias tibi ago maximas novo pro vocabulario! Conabor vocabula ipsa quam primum perlegere. Interea vero tot rebus distineor, ut ne 'vestitum' quidem tuum, etsi excudendum iam curavi, percurrere valuerim.

Caroli vero Livenii praesentis imagunculam opinor me vidisse cum una ex orationibus ALF haberetur: vivit ergo ille et quantum scio valet! Plura de viro tibi dubio procul narrare poterit Christianus noster Laes, quo duce Carolus dissertationem doctoralem parat. Tu vero valere perge: proinde ne laboribus istis insudaveris nimis!

D.23. m.Apr.a.2021 h.15:03 scripsit Guglielmo:

**Leoni Latino Gulielmus Sal. Pl. D.**

Fragrantia, quam misisti, tuis curis Latinitate donata, appulit huc tandem, et mihi nudio tertio perlata est. Macte virtute atque ingenio, vir erudite: quantum enim video, hic liber et eleganter compactus et adamussim in Latinum versus est. Quo in legendo plures horas cum fructu et iucunditate, procul dubio, consumam. Plurimum valeas!

**Leo Gulielmo sal.pl.**

Io triumphe! Fragrantia te advênit. Istâ in tempestate pseudopandemicâ non iam confidimus tabellariis; transportatio cursualis videtur interim paene tam difficilis facta esse quam aetate Romanorum. Animo elato Leo accepit nuntium tuum necnon verba tua laudativa. Is enim gaudet semper laude lectorum; si laudatur eius Latinitas, Leo *sublimi ferit sidera vertice*. Utinam fruaris lectione latinissimâ, mi care Gulielme. Medullitus te salutat Leo Latinus.

D.24.m.Apr.a.2021 h.10:14 scripsit Christian Laes:

**Christianus Nicolao suo, sodali optimo!**

'Accessoria' tua, lexici scilicet, ut semper magno gaudio accepi -- quae mox, si fieri potest, libenter perlegam. Ceterum, fere septimanatim cum Carolo nostro colloquor, qui non solum doctoratum me duce est confecturus apud studiorum universitatem Mamuciensem, ubi cathedram teneo, sed etiam sedem circuli nostri Mamuciensis curat: <https://mamucium.arxlatina.org/>

Eum statim interrogabo! valeas quam optime, Christianus tuus

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History

Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp

Stadscampus · S.SJ.303 · Sint-Jacobsmarkt 13 · 2000 Antwerpen

B 2000 Antwerpen

**Nicolaus Christiano s.**

Summas gratias pro nuntio Mamuciensi. In appendice invenies Epistulam Leoninam novissimam 236 (nescio, quare eam nondum acceperis; mox etiam accipies 237). Vales semper, medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

# RECTENE HOC VIDEO?



## **GUNNAR KAISER**

**poeta et philosophus necnon  
magister scholaris**

**d.28. m.Mart. a.2021**

<https://gunnarkaiser.substack.com/p/sehe-ich-das-richtig>

Vivimus in terrâ, in quâ minister valetudinis dicit non nimis multas probas coronarias faciendas esse, ne nimis multa resultata accipiantur falso-positiva ... et dimidio anno post numerus probarum est multiplicatus, probae rapidae nunc venaliter prostant, et discipulis probae sunt faciendae ipsis omni die?

Vivimus in terrâ, in quâ minister valetudinis dicit falso factum esse, ut tabernae mercaturae singularis clauderentur et hoc non iterum factum iri ... et nonnullis mensibus post hae tabernae denuo clauduntur?

Vivimus in terrâ, in quâ minister valetudinis dicit virus non retineri posse limitibus clausis ... et anno post ferê omnes limites sunt clausi?

Vivimus in terrâ, in quâ virologus statalis dicit pandemiam mascis non posse impediri ... et dimidio anno post omnes homines, ipsi parvuli discipuli in scholis elementariis versantes gerunt mascas?

Vivimus in terrâ, in quâ virologus statalis dicit ne cives vulgares ambulent timore infectionum affecti perpetuo... et dimidio anno post omnibus hominibus praescribitur, ut omni tempore ita se gerant, quasi iam sint vîro infecti?

Vivimus in terrâ, in quâ praeses magistratûs foederalis superioris quaestionum valetudinis mense Ianuario dicit: „QUO SAEPIUS VACCINABIMUS, EO PLURA ORIENTUR ALLAGMATA (MUTATIONES VĪRI GENETICAE)...“ et postquam per menses homines agminatim vaccinati sunt, oriuntur allagmata vĭri covidiani, quibus deinde ratio redditur proximae quarantena generalis?

Vivimus in terrâ, in quâ praeses ministerialis postulat, ut politici, ut exemplo sint civibus, sinant se ipsos vaccinari vaccino astrazenecano ... et eodem die vaccinationes astrazenecanae providenter interrumpuntur?

Vivimus in terrâ, in quâ cancellaria foederalis mense Octobri dicit imminere nobis quattuor menses graviores... et mense Martio idem dicit de mensibus usque ad Iunium sequentibus?

Vivimus in terrâ, in quâ cancellaria foederalis mense Novembri dicit nobis nunc per nonnullas tantum septimanas operam dandam esse... et vernali tempore adhuc est quarantena generalis et nonnulli dicunt de quarantenâ continuâ, quae duret usque ad autumnum?

Eheu – restat aliquid dicendum ...

Rectênê hoc video?

Quod nos non habemus supermortalitatem, hoc effectum est quarantenâ generali, sed quod e.g. Bavaria habet numeros casuum coronae permultos, hoc ei accidit quamquam habet quarantenam?

Si vaccinatus vexaris effectibus secundariis, ex eo apparet vaccinum esse efficax.

At si nullis vexaris effectibus, ex eo apparet vaccinum optimê ad corpus tuum accommodatum esse?

Et: Hac hieme pauciores habuimus aegrotationes viarum respiratoriatarum graves, quia homines domi manserunt et extra domum oboedienter gesserunt mascas. Eodem autem spatio temporis numeri casuum coronae et valores incidentiarum exaugentur, quia homines non oboediunt praeceptis remediorum?

Eheu, et... rectène hoc video? Habemus pandemiam syndromae viarum respiratoriarum gravis et acutae, sed Officium Foederale statisticum declarat hieme praeteritâ paucas tantum factas esse aegrotationes graves viarum respiratoriarum?

Rectène hoc video? Politici per integrum annum iterum iterumque remediorum causam afferebant postulatione morali propagandâ, quae est: »Quaecumque mors isto morbo effecta fuit evitanda!« ... et nunc dicitur de hominibus, qui mortui sunt vaccinatione coronariâ: „Licet nonnulli homines moriantur, vita non vivitur nisi quadam cum aleâ ...“?

Rectène hoc video? Vaccinamus miliones hominum, ut nos omnes mox „liberi“ esse possimus, sed vaccinati tamen quarantenâ includendi sunt, quia non demonstratum est eos non posse morbo infici?

Rectène hoc video?

Adulescentes ferê in omnibus scholis Germaniae et Austriae et Helvetiae permittuntur vel partim coguntur mâne in oeco classario facere probas covidianas sui ipsorum; discipuli positivê probati et recusatores probarum insulantur et e locis scholae amoventur. Discipulis autem negativê probati tamen etiam non licet mascas deponere?

Nescio an masca facta sit vestis uniformis cultûs cuiusdam, quam asseclae eiusdem aut nolunt aut vetantur deponere, etiamsi masca munus originale valetudinem protegendi non iam potest explere?

Ut omnia comprehendam:

Argumenta, quibus remedia recusantur, relativê facilia sunt intellectu; facta et indicia, quibus utilitas eorum refutatur, facilia sunt inventu. Valores et persuasiones, quibus haec argumenta affirmantur, quales sunt libertas et ius sui ipsius regendi et dignitas humana et servatio iurum fundamentalium, sunt cogitando et experiendo probata et bene famata et honorabilia.

E contrario defensores cursûs gubernationis et remediorum alternativae expertium ex septimanis et mensibus huc illuc se vertentes delabuntur in profunditates etiam etiamque abstrusiores – hypotheses novas et additicias unam alteri contradicentes neque desinunt nova pericula imminetia animo fingere, novos scopos semper sibi proponunt assequendos et criticorum argumenta praecipua negligentes, verbis efferentes adnotatiunculas minimi momenti, ut remis velisque teneant doctrinam suam ficticiam.

Verumne creditis viros tam ingeniosos quam *Rezonem* et *Volfgangum Niedecken* et *Radulfum Ruthe* et *Thomam D* et *Richardum Davidem Precht* istas lineas argumentandi etiam etiamque hebetiores et turbatiores intellexisse et propriâ cognitione inductos factos esse declamatores regiminis pandemiae?

Nihil – repeto : NIHIL istarum prognosium horrificarum et vaticiniorum exitialium anni proximi praeteriti ad veritatem adductum est.

Neque hîc neque in Suetiâ. Nusquam.

Et tamen isti gubernantes destructiva remedia sua politica milies refutata et ad absurdum ducta et rebus reverâ factis ad irritum redacta adhibere pergunt eo quod blaterant de undâ tertiâ, de mutationibus mutabilibus, de scaenariis horrificis iterum iterumque renovatis.

Nos autem non desinimus istaec omnia pati, istis omnibus adnuere, sperare istaec omnia mox transactum iri.

Verum enim vero nos non iam possumus servari.

Non omnes istis gubernantibus adnuunt, sed adhuc nimis multi, quamquam isti contendunt se fovere methodos scientificas et salutem communem. At oportet hoc dicatur voce quam maximâ: Ista remedia coronaria sunt cultus quodammodo religiosus. Istaec omnia a realitate iam remota pseudo-realitate conficta ab omnibus rebus reverâ factis et a quaestionibus criticis sanâ mente excogitatis sunt seclusissima.

Usus remediorum coronariorum politicus est cultus religiosus, cuius assectatores illos homines, qui magni aestimant libertatem atque iura



fundamentalia, credunt esse „*denegatores coronarios*”, cum ipsi reverâ sint denegatores iurum fundamentalium.

Iste est cultus religiosus, cuius ideologia omnes res, quae prius habitae erant naturâ atque ratione verissimae, nunc in contrarias sunt conversae:

Homines sani habentur pro aegrotis. Aegroti sunt symptomatum expertes. Iura fundamentalia sunt privilegia. Pavor et hysteria et hypochondria sunt signa sanitatis. Discriminatio est iustitia. Addubitando perquirere est fidem fallere. Qui rei publicae est obnoxius, is est sinistrae partis, qui oboedit, est progressivus. Vaccinatione liberamur.

Mirum autem est, quod victimis istius cultûs coronarii *effectûs vaccinandi nocentes* videntur tanti valere, quanti sanae menti humanae valet morbus contagiosus. Subito denuo valent haec principia quae sequuntur:

1. Multum valet causam mortis hominis vaccinati accuratê indagare et morbos priores respicere.
2. Qui senex vaccinatus moritur, fortasse sic quoque transgressus est limitem vitae suae naturalem. Nemo vivit in aeternum.
3. Vivere semper est aleam subire, oportet vaccinatum patienter ferre quosdam effectûs adversos.
4. Multum valet responsalitas propria; nolo rem publicam mihi praescribere, utrum vaccinum sumam astrazenecanum necne.
5. Ne terreamur imaginibus terrificis relationibusque casuum singularium, quae mediis diurnariis publicantur de vaccinatione referentibus, neve iisdem aspectis atque perlectis in timorem incidamus Panicum.
6. Non possumus iura fundamentalia libertatesque milionum hominum deminuere, quia pauci tantum vaccinationis effectum in morbum incidunt et quia fieri potest, ut systema valetudinis collabatur.

Ita fit, ut vaccinationis coronariae praedicatores more perverso id expugnando recuperant, quod olim noverant convenire hominibus sanâ mente atque ratione praeditis. At quia in istorum mundo sanum valet novo modo aegrotum ...

Istorum mens est insana, sed quia credunt morbum esse symptomatum expertem, hoc non agnoscunt.

Tamen restat, ut nonnulla quaeram ex istis nacistis coronariis quarantenaequae generalis xoanólatrês<sup>1</sup>:

Nonne vos ipsos male habetis recordati illos gubernantes, cum prius systema valetudinis esset superoneratum, nequaquam clamavisse remedia esse adhibenda, quibus iura fundamentalia deminuerentur?

Cuiusnam sumptibus quarantenas faciemus, si homines nihil iam habebunt, quod possunt sacrificare?

Generaliter antequam disputabimus cum remediorum defensoribus fidelibus iurumque fundamentalium denegatoribus, oportet quaeramus haec tria quae sequuntur:

1. Tunc iam ante pandemiam exortam indignatus es de difficultatibus homines aegrotos senilesque curandi et antea iam studuisti conferre ad istas difficultates levandas aut a politicis magnâ voce postulare, ut illas levarent?
2. Tunc iam ante aut inter aut post epidemias influenzae his annis factas postulavisti, ut convictus hominum vehementer inhiberetur, ne systema valetudinis denuo superoneraretur neve iterum 25.000 (viginti quinque milia) ferê hominum influentiâ morerentur?
3. Tunc filium filiamve tuam alicui negotiationi pharmaceuticae aut scientistis obtulisti, ut eodem adhibito probari possent vaccini pueris iniciendi efficientia atque innocentia<sup>2</sup>?

---

<sup>1</sup> \*xoanólatrês, -ae m. orig. *Fetischist*. cfr Giovanni Battista Pighi, Termini scientifici moderni tradotti in Latino. In: *Aevum*. Rassegna di scienze storiche, linguistiche. Milano 1939, p.268: feticismo - \*xoanolatría. – cfr Menge-Güthling, *Enzyklopädisches Wörterbuch der griechischen und deutschen Sprache*, Erster Teil, Griechisch-Deutsch, Berlin 14.ed., a.1957, p.477: „ξόανον, τό [ξύω] Schnitzwerk; insbes. hölzernes Götterbild; übh. Gebilde.“ – cfr op.mem., p.205: „ειδωλο-λάτρης, ου, ό + [λατρεύω] Götzendiener“.

Si una aut plures quaestiones negantur, adiungenda est quarta: Scisne, quid sit hypocrita?

Oportet autem ex nobis ipsis quaeramus haec:

Ex iis, qui nunc ignavâ suâ assentatione destruant valetudinem et possibilitates futuras liberorum nostrorum et conferant ad trauma animarum integrae generationis hominum efficiendum – ex iis, inquam, qualem excusatiunculam post quinque annos nos audiemus frequentissimê?

1. Nescivimus melius facere!
2. Hoc nemo nobis dixit!
3. Omnes hoc sic fecerunt, hoc non potuit esse falsum.
4. Quidnam magni efficias homo solus singulusque?
5. Quidnam aliud potuimus facere?
6. Nihil nisi bonum voluimus!
7. Scilicet nos a politicis et diurnariis deceptos esse!
8. At scientistae inter se consenserunt!
9. Equidem non verê particeps fui, semper tantummodo simulavi me esse participem!
10. Nil feci nisi oboedivi mandatis!

An aliquis intimo ex corde exclamabit “Vivant Domini Coronarii!”?

Sed animis fingatis, quomodo se habeant assectatores cultûs religiosi, cuius declamatores tantulâ sunt mentis claritate, tantulâ auctoritate, tantulâ eloquentiâ, quantulâ est *Carolus Lauterbach* praeditus. Qui homo nullâ re magis indiget nisi amplexu misericordiae pleno. Quam firmissimo.

---

<sup>2</sup> **innocentia**, -ae f. orig. *Unbedenklichkeit* cfr PLIN.nat.37,201 **innocentia** ferorum animalium. PALLADIUS, agr. I 35: Serpentes prope omni austeritate fugantur, et nocentes spiritus **innocentia** fumi exagitat.

Interdum paene me miseret victimarum cultûs coronae religiosi. Qui miseri ne satis fortem quidem cultum habent, qualem habuerunt illi priores (*sc. nacistae, adn. interpretis*), quorum cultus spectavit ad duces charismate praeditos, ad vim aestheticam necnon pathos rhetoricum, ad vexilla, ad symbola, ad cantica...

E contrario cultus coronae extrinsecus tam simplex atque abderitanus quam intrinsecus est inconsistens<sup>1</sup>, timidus, vitae adversarius.

At aliud quoque hodie cognovi: vitam socialem, quae ab illis instituetur, qui postulent, ne quis vitae socialis sit particeps nisi vaccinatus, equidem participare omnino *nolo*.

## **SYMBOLAM**

**C.T.**

**„RECTENE HOC VIDEO?“**

**I.E. ORIGINALITER**

***„Sehe ich das richtig?“***

**THEODISCE SCRIPSIT**

**GUNNAR KAISER,**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS.**

---

<sup>1</sup> \**incōsistēns*, -ntis cfr Gottfried Wilhelm Leibniz, Specimina de motus causa et de corporum qualitibus, in: Philosophische Schriften, tom.4: 1677-Juni 1690 Teil A, Berlin 2006, p.2022, N.367: „Consistens est quod notabiliter resistit tactui nostro. Inconsistent, quod ita tangi potest a nobis, ut cum aërem tangimus.“

## FABELLA GRIMMIANA

106.

### De paupere socio molinario atque cattula.



Aliquando in quadam molinâ, ubi nemo vixit nisi vetus molitor et uxoris et filii expers, serviebant tres socii molinarii. Cum iidem per aliquot annos sibi serviissent, molitor illis dixit: »Proficiscimini! Is qui domum mihi attulerit equum omnium optimum, ei tradam molinam«. Tertius autem sociorum fuit servus minor, qui ab aliis habebatur pro fatuo, ei molinam non concesserunt; et îdem postea eam ne voluit quidem. Tum omnes tres unâ domo exierunt, et cum ante vicum venirent, duo fratres dixerunt Iohanni fatuo: »Fac hîc maneat, nam tu caballum nullum umquam accipies per totam vitam tuam.« Tamen Iohannes unâ cum illis iit, et nocte obortâ venerunt ad cavernam, in quâ cubitum ierunt. Duo fratres callidiores exspectaverunt, dum Iohannes obdormisceret. Deinde surrexerunt et Iohannulo relicto profecti sunt sentientes se sat callidê fecisse; at hoc vobis parum bene succedet!



Sole oriente Iohannes experrectus sensit se iacere in cavernâ profundâ: quocumque prospiciens vociferatus est: »Eheu, Deus, ubi sum!« Tum surrexit, sursum e cavernâ repsit, iit in silvam cogitans »Quonam modo nunc accipiam equum!« Huic cogitationi traditus incidit in cattulam parvulam et versicolorem, quae: »Heus Iohannes« inquit, »quo ire vis?« - »Ah! Tu quidem nescis me adiuvere.« Tum cattula: »Quid tu cupias, bene scio. Cupis habere caballum bellulum; veni mecum, sis servus meus fidelis per septem annos, deinde tibi dabo equum, qui erit pulchrior quam omnes quos tu umquam vidisti.« Tum cattula puerum secum duxit in castellulum suum devotum: îdem debuit bestiae servire omnique die lignum concidere, ad quod faciendum accepit asciam argenteam, cuneos, serram argenteam, malleum cyprinum. Inde lignum concidebat, in domo manebat, bona esculenta et potulenta sumebat, sed neminem videbat praeter cattulam versicolorem. Aliquando eadem puero dixit: »Abi illuc et pratum

meum falcastro reseca et gramen sicca« eique dedit falcastrum argenteum et cotem auream, sed iussit Iohannulum omnia recte reddere.



Tum Iohannes illuc iit et mandata fecit; labore exanclato falcastrum et cotem et fenum domum attulit et rogavit, num illa sibi datura esset mercedem. Tum catta: »Nondum« inquit »tibi dabo mercedem. Primo oportet unum etiam mihi facias. Ecce adsunt materia aedificandi argentea, ascia, norma et quae sunt necessaria, omnia argentea, ex iis aedifica mihi domunculam«. Tum Iohannes domunculam integram construxit et dixit se nunc omnia fecisse, sed nondum habere equum; septem autem anni ei tam celeriter transierant quam annus dimidius. Deinde catta quaesivit, num vellet videre equos? Iohannes autem: »Volo«. Tum catta ei domunculam aperuit, et ianuâ vix apertâ ecce ibi stant duodecim equi, eia, qui fuerunt perquam magnifici, tam bellulê nitebant et splendebant, ut Iohannes gauderet intimo ex corde. Nunc catta ei dedit esculenta et potulenta et: »Abi« inquit »domum, equum tuum tibi non do, sed triduo post veniam eumque mecum tibi adducam«. Itaque Iohannes domum iit et catta ei monstravit viam, quâ veniret ad molinam. Sed quia ei non dederat vestem novam, Iohannes non potuit, quin retineret vetulum amiculum linteum detritum, quod secum attulerat, et quod spatio septem annorum ubique nimis breve factum erat.



Cum Iohannes domum iret, duo socii molitoris ceteri etiam adfuerunt iterum, quorum quisque equum secum attulerat, sed unius equus fuit caecus, alterius claudus. Qui quaesiverunt: »Heus Iohannes! Ubi est equus tuus?« »Qui veniet post tres dies«. Tum illi ridentes dixerunt: »Heu Iohannes, unde tu accipies equum, scilicet istunc fore extraordinarium!« Iohannes autem in conclave iit, sed molitor dixit, ne veniret ad mensam, quia vestimenta eius essent nimis pannosa et discissa, si qui alius intraret, fore, ut se eius puderet. Tum illi Iohanni dederunt aliquantulum ciborum, quod foris comederet et vespere cubitum euntes duo alii ei noluerunt dare lectum, ut denique reperet in stabulum anserarium ibique in pavimento decumberet, quod pauxillulo stramenti erat obtectum. Mâne autem cum surgat, tres dies iam transierunt, et vênit raeda sex equis adiuncta, qui – eia! – enituerunt nitore pulcherrimo – et agaso attulit equum septimum, quem dedit



pauperi socio molinarii; e raedâ autem escendit magnifica filia rēgis, et intravit molinam, et filia rēgis fuit illa cattula versicolor, cui Iohannes miser servierat per septem annos. Quae rogavit molitorem, ubinam esset socius molinarius, servus minor? Tum molitor: »Isti non possumus permittere, ut intret molinam, quia vestibus est discissis, iste iacet in stabulo anserario.« Tum filia rēgis dixit, ut illum adducerent. Itaque Iohannem adduxerunt, et eidem amiculum fuit convolvendum, ut corpus obtegeretur; tum minister exemit vestimenta magnifica, et Iohannem lavit et induit, hisque rebus confectis Iohanne nullus rex fuit pulchrior. Deinde virgo voluit equos aspicere, quos alii socii molinarii secum adduxerant, unus fuit caecus, alter claudus. Tum ministrum iussit adducere equum septimum; quo aspecto molitor dixit equum tam bellulum sibi nondum in aulam introductum esse; puella autem: »Hic autem« inquit »socio tertio est dandus«. Tum molitor: »Si ita« inquit »ei etiam molina est tradenda«; sed filia rēgis dixit ibi esse eius equum, et ut sibi retineret etiam molinam: et Iohannem suum fidelem sumptum raedae imposuit cumque eodem avecta est. Ambo primo vecti sunt ad domunculam illam, quam Iohannes aedificaverat instrumentis argenteis; sed – babae! – eadem interim facta erat magnum castellum argento auroque abundans: denique puella regalis Iohanni nupsit, ut is esset dives, tam dives, ut divitiae sibi sufficerent in totam suam vitam. Itaque ne quis dicat puerum fatuum fieri non posse virum probum.

**HANC FABELLAM GRIMMIANAM**  
**QUAE ORIGINALITER INSCRIBITUR**  
*Der arme Müllerbursch und das Kätzchen*  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mand a- telae | ISBN              | TITULUS   | AUCTOR                     | TRANS- LATOR   | ANNUS | FORMA      | AMPLI- TUDO | PRE-TIUM |
|----|--------------------|-------------------|---|----------------------------|----------------|-------|------------|-------------|----------|
| 1  | 00104              | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA   | Anonymus (Old Indian)      | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.       | € 17,90  |
| 2  | 00104 A            | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles                         | Anonymus (Old Indian)      | Nikolaus Gross | 2005  | Audio      | 21 min.     | € 22,90  |
| 3  | 00204              | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe            | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 33 pp.      | € 27,50  |
| 4  | 00304              | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE                                     | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 6 pp.       | € 17,90  |
| 5  | 00304 A            | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles                   | Heinrich von Kleist        | Nikolaus Gross | 2004  | Audio      | 6 min.      | € 20,90  |
| 6  | 00404              | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI  | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.       | € 17,90  |
| 7  | 00404 A            | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibiles  | Alexander Saxon            | Nikolaus Gross | 2005  | Audio      | 20 min.     | € 21,90  |
| 8  | 00504              | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO  | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 14 pp.      | € 19,50  |
| 9  | 00604              | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS   | Nikolaus Gross             | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 16 pp.      | € 19,00  |
| 10 | 00704              | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS  | Diogenes Anaedoeus         | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 11 pp.      | € 19,50  |
| 11 | 00804              | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI   | Diogenes Anaedoeus         | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.       | € 17,90  |
| 12 | 00904              | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAE   | Bertolt Brecht             | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 21 pp.      | € 22,00  |
| 13 | 01004              | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN   | Henricus van den Lande de  | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.       | € 17,50  |

|    |         |                   |  |                               |                |      |               |         |         |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
|    |         |                   |  | Raelt                         |                |      |               |         |         |
| 14 | 01104   | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO                                 | Nikolaus Gross                | -----          | 2004 | CD-ROM        | 21 pp.  | € 22,00 |
| 15 | 01204   | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIANAE 1  | Jacob Grimm/<br>Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 16 | 00105   | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS   | Friedrich Dürrenmatt          | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 49 pp.  | € 31,90 |
| 17 | 00205   | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE   | Gerhart Hauptmann             | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 18 | 00305   | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)   | Christoph Martin Wieland      | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 15 pp.  | € 19,50 |
| 19 | 00405   | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT  | Johann Wolfgang von Goethe    | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 82 pp.  | € 38,90 |
| 20 | 00505 A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 –<br><b>Libri audibiles</b> | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 00605 A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM –<br><b>Libri audibiles</b>      | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 00705 A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 –<br><b>Libri audibiles</b>                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2005 | Audio         | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106   | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE  | Nikolaus Gross                | -----          | 2006 | CD-ROM pdf    | 87 pp.  | € 48,00 |
| 24 | 00206   | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM           | Karl Friedrich Kielmeyer      | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf    | 66 pp.  | € 38,00 |
| 25 | 00306 A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 –<br><b>Libri audibiles</b>                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2006 | Audio         | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 00406 A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –<br><b>Libri audibiles</b> | M.T. Cicero                   | -----          | 2006 | Audio         | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 00506 A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –<br><b>Libri audibiles</b>  | L.A. Seneca                   | -----          | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |

|    |            |                           |  |                                    |                   |      |                   |         |         |
|----|------------|---------------------------|--|------------------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 28 | 00107<br>A | 978-3-<br>938905-27-<br>2 | ASINUS AUREUS AB<br>APULEIO SCRIPTUS   | Apuleius                           | -----<br>--       | 2007 | Audio             | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 00207<br>A | 978-3-<br>938905-28-<br>9 | OBSIDIO SAGUNTI A<br>T.LIVIO DESCRIPTA | Livius                             | -----             | 2007 | Audio             | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | 00307      | 978-3-<br>938905-29-<br>6 | FABELLAE GRIMMIANAE<br>II              | Jacob<br>Grimm/<br>Wihelm<br>Grimm | Nikolaus<br>Gross | 2007 | CD-<br>ROM<br>pdf | 58 pp.  | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM TRICESIMAM SEPTIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ  
25. m.Apr. a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae